

186 CHYMICOR. PRINCIPI.
hibita eiusdem violentiæ censenda? Ranunculus & Allium esui sunt apta, quæ tamen extimam corporis superficiem in vesicam tollunt. Et quis nescit cantharidum vsum introrsum quoque antiquitus familiarem extitisse, nullo timore illius stigmatis, quod foris inurit. Est ergo diuersitas patientis subiecti animaduertenda. Quæ sunt validiora, maiorem sentiūt interaneorum repugnantiā, ob innati caloris robur. Hoc cùm exterius minus se proferat, magis grassatur remedium. Ut ita haud maior metus validioris medicamenti ab eiusdem prouido vsu nos auocare oporteat. Facultates quidem augentur: non tamen omnes: quandoquidem excessum malignarum artifici præparatione imminuimus, sed quas par est. Et licet forent auctiores, non tamen maiori adhuc berentur periculo, quām cætera solent communi more parata remedia. Quę enim Chymicorum minor est quantitas scrupuli vnius, ea cæterorum tripla est, drachmæ vnius, sed & duarum quandoque & plurium. Iam si drachma vna vel plures vacant periculo, longè verius

Calida,
quantumuis
acria, intrò
quoq; acci-
pi possunt.

An faculta-
tes cæteræ
ita incre-
cant, vt pez-
riculosum
reddant re-
medium.